

In Pap. Berol. 11771 observatiunculae

Ad Papyrum Berolinensem 11771, qua comoediae cuiusdam fragmentum continetur, ut paucis revertar disputatione adducor quae in *Dioniso* XI, 1948, 177 prodiit. Quamquam quae de hac papyro in *Mnemosyne* ser. iii, vol. V, 1937, 53 (1) protuli ea nullo modo confutantur disputatione qua, nulla notitia nulla imagine papyri adhibita, lectiones resuscitantur quas numquam in papyro extitisse abunde constat (2); cui fundamento quae superstruuntur ea aliis diiudicanda relinquo. Sed dies diem docet: de textu fragmenti pauca promam.

In v. 1 post τὰ τοιαῦτα omnia incerta sunt. ΤΟΙ[Σ] per se probabile est; quae sequitur litera ea certe non fuit Θ (actum ergo est de Ἐνητοῖς, quod Koerte supplevit); fuisse potest vel Α (C. H. Roberts) vel Φ vel nescio quid aliud.

In vv. 4 et 10, ut in aliis quoque locis de quibus statim dicam, vereor ne plus iusto tribuerim rationi qua lacunarum ambitum circumscribere studui (3); qua ratione ut satis accurate de lacunis intra lineas iudicatur ita in versuum initiis cautiùs utendum est. Sequitur ut stare possit quod Wilamowitz in v. 4 supplevit πάλιν. Etiam v. 10 ἰού, quod idem v. d. proposuit, verum esse potest, idque eo magis quod paragraphus, qua personarum vices indicabantur, spatii partem occupavisse potest.

In v. 7 in. non erat τί πο]τ' neque τί εἰ]τ', nam 'Γ in lineae initio certe agnoscitur'. Suppleri potest τί σό]γ'; sed et actionis et personarum ratio huic supplemento contradicit. Scilicet alteram personam post βέλτιστε verba facere necesse esset, id quod papyri literarum series continua vetat (nam personarum vices intra versus spatio vacuo indicantur); neque verbis 'quid tandem vereris?' appellari potuit aut ille qui se discessurum esse modo statuerat aut alter ille qui hoc puncto temporis, nullo praemonente, scenam intrat vel potius invadit. Legamus igitur

(1) Cf. D. L. PAGE, *Greek Literary Papyri*, i, 1942, 232.

(2) Redit e. g. manifestus ille error quo Wilamowitz, in v. 16, dedit τῷ pro πού; redit vox εἰ[δω]κ' in v. 15. ubi JHK certe agnoscitur; necnon ἰκε]τη-ρί[ω]ι, in v. 19, pro πα]ρ[ᾶ] τῆι θε[ῶ]ι.

(3) De hac ratione conferas, si libet, quae disputantur in *Chronique d'Égypte* XXVI, 1951, 194.

κάρα]γ' εὐλάβει (1); nempe is qui novus in scenam irrumpit — lenonem esse et putavi et puto — eum qui antea verba fecit inclamat ut caveat et altaria petenti locum det. Forma activa εὐλαβέω in papyro primi p. C. saeculi est (2); eandem Photius confirmat, cuius glossa, vel potius glossae fragmentum, εὐλάβησον καὶ εὐλαβῆσαι λέγουσιν quin ad aetatem Hellenisticam redeat non dubito.

De v. 15 in. nunc, ut antea, dubius haereo. Literarum enim vestigia suadent ut aut εἰσῆκ' aut εἰστήκ' legamus, quarum vocum utraque orationem parum aptam efficit. Scilicet εἰσίημι ἑμαυτὸν πρὸς τι auctoritate caret et ἔστηκα, nedum forma inaudita εἰστήκα, ut cum pronomine ἑμαυτὸν coniungatur vix concesseris (3). Cur tandem auctor sermone perplexo uteretur in re manifesta, cum praesertim vox ἔστησα in promptu esset? (4). Restat ut huius loci lectio aut non absoluta aut corrupta esse videatur.

In v. 17 D. L. Page v. d. posuit ζ̄ pro quod papyrus habet AA (5).

(1) Ἄπα]γ' εὐλάβει inter alia proposueram *Mnem.* 1937 pp. 56 et 57 n. 2; κάρα]γ' reposuit et εὐλάβει recepit P. Maas.

(2) Cf. LIDDELL-SCOTT s. v. εὐλοβέομαι.

(3) Perfecti ἔστηκα usum q. v. transitivum exemplis perpauculis probant et lexicographi nostri (LIDDELL-SCOTT s. v. ἴστημι I; SOPHOCLES s. v.) et grammatici (G. CROENERT, *Memoria Graeca Herculensis*, 1903, 260 n. 3; E. MAYSER, *Gramm. der griech. Papyri*, I, 1906, 371); quae si attentius examinaveris, eundem in hac comedia extitisse usum non credes, nam ubique variae lectiones ἔστανκα (LXX Jer. XVI. 5; SEXTUS EMPIRICUS, *Adv. Mus.* 38, p. 756. 6 Bk.) vel ἔστησα (JOSEPHUS, *Antiq.* VII. 10. 3) aut extant aut extitisse possunt. 'ARISTOT., *De ventis* 973a 18' (quod laudatur apud Liddell-Scott, l. c.; idem est 'fig. 238, p. 1521 b 11') utique Aristotelis non est; ex Theophrasti *Περὶ σημείων* excerptum esse potest (vide V. ROSE, *Aristoteles pseudepigraphus*, 1863, 247; G. KAIBEL, *Hermes* XX, 1885, 608; recentiorum de eodem fragmento commentationes ut adirem non mihi contigit); de lectione διέστηκεν iure dubitavit H. Bonitz (Index in Arist. p. 196).

(4) Isocr. V. 123 ἡμᾶς εἰς ἀσφάλειαν καταστήσεις; cf. id. IX. 30. — J. Beazley v. d. (apud PAGE, l. c.) distinctione in v. 14 post ἀσφάλειαν posita verbi ἴστημι cum praepositione πρὸς c. acc. coniunctionem vitabat. Sed si quid video, vox ἐνθάδ' aegre a πρὸς τὴν ἀσφάλειαν separatur neque verborum collocatio offensionem habet, nam accusativus inde a saeculo quarto magis magisque cum hac praepositione iungitur (cf. e. g. LXX 4 Reg. 23. 3 ἔστη δ βασιλεὺς πρὸς τὸν στυλόν; Evang. Luc. XVI. 3 ἐβέβλητο ('iacuit') πρὸς τὸν πυλῶνα; Matth. III. 10 = Luc. III. 9 ἡ ἄξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν κέεται recentiorumque scriptorum usum illum frequentissimum verborum εἶναι, παρῆναι, παραγίνεσθαι πρὸς τινά, et ipse Thucydides scripsit πρὸς δ τι χρὴ στήναι (III. 11. 3) et πρὸς τὴν ἐκείνων γυνώμην ἔστασαν (IV. 56. 4); cf. Musgrave ad Soph. Ant. 299.

(5) Idem v. d. quod edidit τῶν in v. 6 et θεῶν in v. 7, cum ΤΩΜ et ΘΕΩΜ in papyro sit, id sine dubio eis legibus tribuendum est quas bibliotheca illa q. d. *Loeb Library* editoribus imponit.

Qua coniectura quin metro auxiliatus sit quis neget? Parum tamen scimus quas in re metrica normas auctor observaverit, praesertim in interiectione quae summo in discrimine emittitur et cuius nullum aliud in comoedia Graeca exemplum extat. Et bene quadrat notio illa ἀποφάσεως ἀρνητικῆς quam grammatici voci ἀ ᾗ attribuunt.

In vv. 24 et 26, haud secus atque in vv. 4 et 10, nimis caute reiciebam supplementa quaedam satis obvia ut quae lacunarum ambitum excedere mihi viderentur. Qua in re eo magis erravisse mihi videor quod scribae — id quod olim me monuit P. Maas v. d. — versuum initia ad imam paginam sensim sinistrorsum promovere solent. Itaque non est cur σύμπα]ντες in v. 24 (1) et μὴ τοῦτο]ο γ' (Wilamowitz) vel fortasse οὐκ εἴλο]γ' in v. 26 reiciantur; necnon νομί]ομεν in v. 25 stare potest.

De auctore huius comoediae minime constare iterum moneo. Alexidem fuisse argumenta quae Wilamowitz attulit suadent quidem sed non demonstrant. Atticista ille quem Phrynichi ecloga s. v. παλαιστρικός et Thomas Magister referunt, is non id egit ut quasi stigma quoddam poseos Alexideae posteris proderet: vocem παλαιστρικός ne Alexidis quidem exemplo satis commendari contendit. Eadem voce alios quoque comoediarum scriptores uti potuisse Plauti (2) Bacch. 248, Epid. 20, Rud. 296 argumento sunt. Cetera editoris principis clarissimi argumenta quam sint ambigua non repeto. Res expedienda novum vel testimonium vel argumentum requirit.

Manchester University.

G. ZUNTZ

(1) De σύμπα]ντες, quod inter alia proposueram *Mnem.* 1937, 56, propter spatium haesitabam; recepit P. Maas.

(2) De Plauto me monuit W. B. SEDGWICK v. d., cuius iudiciū consiliumque in conscribendis hisce notulis mihi praesto fuisse grata mente commemoro.